

# SER<sup>mc.</sup> PRINCEPS.

**A**Nni sunt aliquam-multi, quando auribus  
& oculis sensimus, & Te, dum sublimioribus excolebare Scien-  
tias, nostras Exercitationes scholasticas frequenti ac lubenti  
visitatione Lustrari & illustrari. Volupe scilicet erat, TI-  
B magis, an nobis? Declamationes Rehtoricas & Philosophi-  
cas disputationes, veluti CERTA MINA quædam umbratica  
non modo serenari & animari præsentia SEREN. V<sup>x</sup>.  
verum & ingeniosis sanè argumentis eximiè promoueri.  
Verbo: Anima eras, Lux, & Vita Concertationibus Literarÿs! Quare ut ali-  
quod non ingratæ memoria signum demus, en hodie in Panegyrica Omnia Or-  
dinum TIBI Certatim adgratulantum Corona, nos quoque è Tricoronato  
Gymnasio, Musarum Virginum more verecundi, sub conspectum Tuum ad sacra-  
os Pedes adrepimus, oblaturi CERTAMINA, non illa quidem Isthmia, Pythia, O-  
lympia, Quinquercia ceteraque id genus, sed Apollinea declamationis solitæ &  
disputationis, cuius utriusque idem est argumentum. Quòd enim septem admodum  
sumus numero Scholæ, quæis Artes septem Liberales encyclopædicè edocentur  
SEPTEM FLUVIOS totidem SER. V<sup>z</sup>. SACRIS regionibus subditos in Honoris  
Amoris Tui CERTAMEN inducimus, demissimè rogantes, & t quos aliquando in  
conspectum & aures benevolas admisiſti, nunc quantulacumque CERTAMINA offe-  
rentes SEREN<sup>mis</sup>, quoque oculis admittere non abnuas: siquidem

Tu ipſe  
PRINCEPS Gloriosissimus  
Hodiernâ Solennitate.

DAS GLORIOSA CERTAMINA!

Offerebant, Consecrabant juvcentutis Studiosæ  
principes in Tricoronato Soc. IESU Gymnasio.

SERENITATIS VESTRÆ  
studiosissimi  
Clientes.